

staurationem et erectionem Scholarum particularium, earundemque Magistrorum, qui docti et probi sint, intertentioem: Et denique, ad bonae spei, ac indolis juvenum et adolescentum, ut bonis literis operam dare possint, promotionem et auxilium; applicentur et convertantur: Quo tali ratione, boni et docti viri alantur et nutriantur.

Coloni, Turcis vectigales, dimidium oblati subsidii solvant.

A r t i c u l u s 24.

Sic autem offerunt subsidium praedictum; ut de colonis illis, qui sub ditione Regiae Majestatis existentes, Turcis quoque tributa et servitia praestant, duobus terminis praedictis, non plus, quam centum denarii Ungarici exigantur, propter ipsorum pauperum graves oppressiones.

§. 1. Domini autem et Nobiles, qui tam in Ungaria, quam Sclavonia et Croatia arces habent finitimas; per Regiam Majestatem (juxta ejusdem oblationem) quantum fieri potest, juventur in earum conservatione.

Colonorum servitus.

A r t i c u l u s 34.

Item, communiter quilibet colonus possessionatus, singula hebdomada, singulum unum diem Domino suo terrestri servire teneatur: Salva tamen in iis antiqua consuetudine Regni Sclavoniae.

Libertates Statuum conserventur.

A r t i c u l u s 56.

Quod libertates, exemptionesque Dominorum, ac Nobilium, nec non Liberarum Civitatum et Montanarum, sed et Montis Graecensis (Zagrabiensis), ubique conserventur: *)

§. 1. Hae scilicet exemptions et libertates; in quarum usu fuerunt et existunt.

Arx Kuszegh; et Brachium Regale super Chaszarvara.

A r t i c u l u s 69.

Majestas Regia dignetur cum Domino Petro Erdödy, super jure, quod ipse habet in arce Kuszegh (Ginsium) tractare; et quod justum fuerit, statuere:

§. 1. Brachium etiam Regale, quod super arce Chaszarvara (Cesargrad) ipse Dominus Erdödy jam dudum obtentum habet; confirmare et exequi facere.

*) Confirmantur An. 1723. a. 3. ex quo audiup est: C. 1723. a. 3. ex quo audiup est: C.